Lane Medical Library

DE

DIABETÆ MELLITI NATURA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXX. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXLVIII

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ERNESTUS NOELLER

HELVETIUS.

OPPONENTIBUS:

BARRELET, MED. ET CHIR. DD.
MARCEL, MED. ET CHIR. CAND.
BURNIER, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI

TYPIS GUSTAVI SCHADE.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA40153318_0192

SANCTIS PATRIS MANIBUS

NEC NON

AVUNCULO

DILECTISSIMO, AESTIMATISSIMO

ERN. PRAUSSE

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE

VOLUIT

AUCTOR.

Opusculum inaugurale exaraturus commonstrare conabor, diabeten mellitum seu glycysuriam neque a malo idiopathico systematis uropoëtici, neque ab sola assimilatione vitiosa nutrimentorum, cui primae viae praesunt, sed a cachexia quadam universa, morbo constitutionali imputanda, cujus focus in sanguine totaque assimilatione collocandus sit, ita ut saccharum in urina obvium non nisi phaenomenon singulare illius laesionis exhibeat, pendere, id quod pathologorum recentiorum disquisitiones in aprico posuerunt.

Quum mihi contigerit, ut Diabetae melliti exemplum exquisitum, quod in clinico medico Prof. Wolff occurrebat, per sex hebdomades

observarem, morbi decursum omniaque ejus phaenomena satis accurate perquirere potui.

Vos autem rogatos velim, Lectores Benevoli, ut medico tironi indulgeatis, processum morbosum expposituro, cujus mechanismo recentioris aevi scrutationes tantum lucis affuderunt, ut perfectam ejus illustrationem brevi exspectare possimus.

Jam Prout, Paar, alii adnotarunt, in diabete non enormem urinae copiam, sed saccharum lotio contentum partes primarias agere. Nihilosecius nosologi illud symptoma omnium maxime essentiale existimant, ideoque duas morbi nostri species, nempe diabetem insipidum et mellitum, distinguunt. Quantillum dignitatis huic divisioni tribuendum sit, disquisitiones testantur, quas Cullen, Thénard, Bouchardat et alii instituerunt. Cullen diuresin largam, quae apud mulieres hystericas, nec minus in curandis hydropsiis animadvertitur brevique praeterit, pro morbo singulari habendum esse negat, vix autem unquam morbum hunc diuturniorem fuisse affirmans. Exempla diabetae insipidi, quorum mentionem Bardsley (Cyclopaedia. Uebers. I, p. 590) fecit, haud dubie manca observatione

nituntur. Haud multum temporis transactum est, ex quo methodus, saccharum urinae adjecto fermento detegendi, innotuit et adhibetur, priores scilicet methodi et nimis diuturnae et complicatae fuerunt, quam quibus medici practici facile uti possent, quamobrem plerumque in eo acquieverunt, ut ducem fallacem, saporem nempe, sequerentur. Thénard urinam diabeticam sapore dulci carentem aliquoties addita faece in fermentationem abire observavit, istoque modo saccharum mucilaginosum insipidum, quod vocatur, detexit; Bouchardat idem cum saccharo urinae isomericum deprehendit, et saporis defectum exigua acidi lactici, quod in diabeticorum lotio saepe invenitur, portione effici probavit. Praeterea disquisitiones a Bouchardat institutae docuerunt, sacchari copiam in diabeticorum urina apud eundem hominem variis diei temporibus admodum variare, prout lotium aut jejuno ventriculo, aut largam post coenam mittatur.

Quibus innixus argumentis diabeten insipidum statuendum esse, omnino diffiteor; ceterum diabeten generatim multo aptius glycysuriam appellari persuasum habeo.

Priusquam ad symptomatologiam diabetae melliti gradum facio, de urinae indole chemica apponam nonnulla.

Graham (Lehrbuch d. Chemie bearb. von Otto,

III, p. 131) saccharo diabetico crystallinam tabellarum quadrilateralium et cuborum pellucidorum formam adscribit. Aliam Noack speciem esse tradit, nempe columellarum, dendritidum ratione compositarum, quadrilateralium, planis quatuor praeacutarum, simillimam huic crystallinam sacchari lactis formam esse addens.

Saccharum diabeticum eandem atomorum ostendit rationem atque uvarum et fructuum saccharum, quod glycosis dicitur; eadem gaudet particularum proportione lactis et officinarum saccharum, acido quodam minerali diluto commixtum, quae quidem ratio auctore Graham his indicatur numeris, $C_{12} H_{28} O_{14}$ vel $C_{12} H_{24} O_{12} + 2 H_2 O$. Facillime saccharum diabeticum fermentionem subit. Primum quidem, non raro paucis horis post mictum, intrare solet fermentatio, quae dicitur lactica, id quod jam acidulo urinae sapore cognoscitur. Tum fermentatio sequitur vinosa, qua de causa fermenti globulos, a Quevenne et Cagniard-Latour primum descriptos in urinae diabeticae, per tempus aliquod aëri expositae, sedimentis inveniri non est quod miremur, nam non educti sunt fermenti globuli, sed producti demum. Teste Lehmann in urina recente globuli illi non reperiuntur.

De cognoscendo urinae diabeticae saccharo multi viri

docti disquisitiones divulgarunt. Becquerel et Bouchardat (Canstatt-Enkes Jahresber. II, 1, p. 11) urinam colore praeditam limpido, pallido, cujus spissitudo indicetur numeris 1,040, semper saccharum continere statuunt. Biot opticam urinae saccharinae indolem in declinatione planitiei polarisationis versus dextrum latus optime quaeri contendit. Sigmund (Poggendorff's Annalen, T. 43, 1838) urinam, in qua saccharum reperiatur, acido sulphurico diluto tractari jubet. His omnibus autem praeferenda mihi videtur methodus a Mitscherlich et Trommer primum adhibita et praescripta, quippe qua vel minima sacchari portio perspicue cognoscatur. Ipsa methodus haec est: confecta urinae evaporatione, quae remanserunt alcohole extrahuntur; solutioni alcoholisatae cum kali carbonico calefactae paucae cupri sulphurici soluti guttae adduntur. Quo facto massa rite commixta iterum calefiat necesse est. Jam in inferiore kali carbonici loco cuprum sulphuricum in cuprum oxydulatum redigitur, simulque kali carbonicum colore tingitur fusco, rubro, cinnabarino, quae massa deinde cum aqua commiscenda est, ut cuprum oxydulatum non solutum remaneat. Christison praeterea urinam coxit, donec calorem haberet graduum 22° — 30° R.; tum illo auctore

saccharum urinae efficit fermentationem. Vel exiguas particulas hoc modo cognosci docet.

SYMTOMATOLOGIA.

Diabeten mellitum subito posse irruere P. Frank et alii animadverterunt. Priusquam tamen accedit, semper fere certis quibusdam corporis affectionibus praenunciatur, quae ad organa modo digestioni dicata plerumque pertinent. Symptomata vero morbo ipsi praecedentia haec fere habeo. Homines primum stomacho laborant saepius eructante, saporem efficiente peracidum, graviori ventriculi ardore, vomitu acidulo, mucoso, respiratione solito breviori, tussi quadam spastica, ciborum appetitu valde adaucto. Justa tamen alvi excretio esse solet. Multi albuminuriam, Willis (Krank. d. Harnsyst., Uebers. p. 210) azoturiam memorat diabetae mellito saepius praecurrere, imprimis si aegroti prius Baccho et Veneri nimis indulserint, utpote quorum systema uropoëticum valde irritatum sit ac debilitatum.

Quibus praetermissis ad essentialia diabetae symptomata, primum quidem ad urinae indolem, animum advertam.

Diabeticorum urina turbida est, serosa, straminea, viridescens aut subfusca, mucosa, intense spumans, expers odoris urinosi seu ammoniacalis, odorem spargens mellitum, violaceum, osmazomatis similem, saporem habens dulciusculum. Pondus ejus specificum majus est quam urinae normalis, nimirum 1,010 (Christison) — 1,0740 (Prout). Subsidium diagnosticum grave exploratio praebet areometro instituenda. Quemadmodum per normalem urinam intra nychthemeron circiter unciae duae cum dimidia partium solidarum eduntur, ita in diabete mellito unciae viginti vel triginta sex quotidie secedunt. Copia sacchari, substantiarum solidarum maximam partem exhibentis, admodum variat. Lehmann 5,8 %, Mialhe 6 %, Simon 8 %, Bouchardat 13 % perhibent.

Ad constantia diabetae symptomata urinae secretio adaucta pertinet. Haud raro accidit, ut librae 30 — 40, imo adeo 70 intra viginti quatuor horas edantur. Non parvi est momenti, ut ratio exploretur, quae inter urinam secedentem et potuum assumptorum copiam et fluidarum partium nutrimentis contentarum locum habeat. P. Frank (de cur. morb. Epitom. V, p. 44) rationem perhibet 5 : 3, Fothergill 4 : 3. Diu horum problematum veritas non in dubium vocanda putabatur, attamen recentiorum dis-

quisitiones rem aliter se habere docuerunt. Quod si omnia ingesta ponderamus, facile nobis persuadebimus, quotidie libram dimidiam ad unam superesse, quae insensibili cutis et pulmonum perspirationi possit impediri.

Thénard ueream in lotio non detexit, recentiores autem ut Prout et alii eandem in urina diabetica demonstrarunt, attamen, ut copiam ejus valde incertam et ambiguam, quemadmodum in sanis etiam, perhibeant (Simon, med. Chem. II, p. 453). Observatio eorum, qui multis in casibus uream et saccharum contrarias proportiones in urina diabetica exhibere dicunt, neutiquam argumento est, saccharum ureae mutatione formari, sed tantum substantias azoticas in corpore diminui, si opportunitas adsit, materias carbogenio abundantes conformandi.

Ad dignoscendam diabetae naturam non parvi est momenti, quod a Bouchardat acidum lacticum et ammoniacum lacticum, a Mueller acidum hyppuricum, a Jackson acidum benzoïcum, ergo materiae herbivororum urinae magis propriae, in lotio diabeticorum reperta sunt. Utrum saccharum urinae cum acidi carbonici per pulmones excretione certum alat commercium uno tantum in casu examinatum est (Elliotson's Vorlesungen, Uebers. p. 748).

Quandoque in diabeticorum lotio albuminis portio quaedam invenitur, Schoenlein stadium albuminosum praecedere stadio saccharino affirmat, necnon alii (Simon) contenderunt, ineunte morbo albumen in urina deprehendi. Porro in urina diabetae ad sanationem vergentem, auctore Dupuytren, saccharum et albumen alternant et valetudinis imminentis signum constituunt, id quod haud dubie in casibus rarioribus evenit. Crebrius lotium albuminosum in diabetae stadio ultimo apparens cum morbo Brightii nexum alit et hoc respectu Prout et alii recte judicant, albumen urinae sub diabetae finem apparens magis infausti quam leti ominis esse dicentes. De albumine in urina obvio Rayer (Malad. des Reins, II, p. 224) exemplum notatu dignum apposuit, quo morbus Brightii et diabetes alternabant. Infra autem de hacce complicatione, quae ad illustrandam nostri morbi naturam plurimum confert, disseram. Globuli adiposi a Prout, Elliotson et alii in urina diabeticorum plerumque cum albumine reperti sunt.

De partibus urinae constituentibus earumque proportionibus, quas Bouchardat in diabete exquisito reperit, cf. Schmidt's Jahrb. d. ges. Med., XXV, p. 49.

Ciborum appetentia ad voracitatem evecta, nec minus sitis immensa inter symptomata referuntur, quibus scri-

ptores summam dignitatem tribuerunt. Sitis haud dubie ad symptomata inimicissima pertinet, haud raro enim accidit, ut aegroti intra nychthemeron aquae mensuras 10 — 20 et quod excurrit, hauriant. Bouchardat, quod infra videbimus, sitim cum nutrimentorum farinaceorum quantitate debitam proportionem alere affirmat.

Plurimum ponderis medici digestiones organorum perturbationibus, inprimis ventriculi affectionibus tribuerunt. Plerisque in casibus quidem cardialgia et pyrosis morbo ineunte, vel etiam procedente animadvertuntur, semper autem brevi praetereunt, serius haud raro inflammatoria tunicae mucosae ventriculi et intestinorum irritatio exoritur. Verumtamen haec affectio magni facienda non est, quippe quae in extrema periodo omnium morborum tabificorum occurrere soleat. Ipsa digestio semper fere normae respondet, faeces modo rarius quam statu normali secedunt durioresque sunt, sed bile tinctae et probe coctae. Auctore Mialhe omnes succi diabeticorum enterici, imo etiam oris secreta, reactionem acidam praebent.

M'Gregor experimentis notatu dignissimis commonstravit in diabeticorum ventriculo inter digestionem sacchari portionem magnam confici, sive nutrimenta vegetabilia, sive sola animalia ingerantur (Willis l. c.

p. 212). Non satis tamen pensitavit fieri posse, ut saccharum haud ex nutrimentis solis, sed etiam ex ipso sanguine, juvantibus intestinorum secretis, proficiscatur.

Cutis generatim magnum siccitatis gradum offert, ad quem provocare solent ii (Bouchardat et al.), qui processum morbosum mere chemica ratione interpretari student (Bouillaud, Nosolog. V, p. 137). Sudores enim ad phthisin accedentem imo vero pertinent. Non raro epidermis squamulis detruditur furfuri similibus, saepius etiam auctore Haase serpiginoso exanthemate afficitur. Nasse et alii saccharum in sudore deprehenderunt.

Controversiam, utrum saccharum in sanguine insit necne, Bouchardat diremit, sed copiam ejus non minus variare affirmat, quam in urina. Sanguis praeterea diabeticorum plus seri, minus cruoris et fibrinae continet, quam statu normali. Mialhe alkaliorum proportiones in sanguine diminutas reperiri arbitratur.

Denique silentio praetermittendum non est, animi facultates et naturae nisus mox deprimi, inprimis vero instinctum sexualem plerumque ineunte morbo exstingui. Horn aegroti mentionem facit, qui quum antea creberrimis laborasset pollutionibus, exorto morbo illis prorsus liberaretur. P. Frank (l. c. p. 45) plures ejusmodi casus

memorabiles apposuit. Haase (chron. Krankhtn. III, p. 332) auctore morbo longius provecto phimosis plerumque gignitur; praeputium inflammatum tumescit, neque inde super glandem deduci potest. Inter glandem et praeputium, eodem auctore, smegmatis cujusdam lutei, lymphatici, caseo similis excreta major ex urina copia suspenditur. Berend sensuum quoque organa, et auditus et visus, maxime hoc morbo debilitari commemorat. Himly vel amaurosi utrumque oculum affectum observavit, eandem refert observationem Jahn.

Praeterea aegroti quendam imbecillitatis sensum ac dolorem torquentem, contrahentem, spasticum fere, quo lumborum regio et extremitates, inprimis inferiores afficiantur semper fere describunt. Saepius etiam, id quod Berend refert, diabetici frigoris aut frigescentis quasi liquidi ex lumbis in vesicam descendentis sensatione laborant. Formey autem refert de diabeticis, quorum spina vertebralis spongia permulsa aqua calida imbuta doloribus tentata, contra peramoeno affecta sit sensu, eadem corporis parte linteis frigida aqua imbutis obtecta. Vox quoque diabeticorum mutatur. Stosch clangosam nominat diabeticorum vocem, eandem addit non raucam quidem esse, sed tenuem potius, ad aphoniam vergentem. Dentes

in gingivis labefactantur atque plerumque excidunt. Mirabile est, id quod Schoenlein primus observavit, dentes molares morbo nostro non affici, sed incisivos tantum et caninos. Corpus celeriter macrescit et ut ita dicam colliquescit, elapso anno, vel biennio, vel triennio, mors tabe inducitur; ad extremum vitae momentum aegrotantes duobus exercentur desideriis, quibus nunquam omnino satisfacere possunt, nimirum bibendi et mingendi cupiditate.

ANATOMIA PATHOLOGICA.

Plurimum renes hypertrophici, sanguine opulentiores, vasa eorum magis expansa inveniuntur, quae mutationes pro sequelis habendae sunt; non raro illos anaemicos et relaxatos deprehendimus. — Ureteres et vesica urinaria saepe dilatatione et parietum crassitie laborant. — Hydatides renales (Copland) et calculi (Beer) magis accidentalem diabetae complicationem sistere, rarefactio autem et indoles renum granulosa (Brodie) a morbo Brightii derivandae videntur. — Multis in casibus organorum digestionis anomaliae, inprimis tunicae mucosae mollities et vasa ejus infarcta reperiuntur; porro hyper-

trophia et ulcera ventriculi tenuisque intestini, nec minus alienationes hepatis, praesertim cirrhosis. — Haud raro tubercula pulmonum, residua inflammationis pleurae, mutationes glandularum bronchialium et mesaraicarum (Hecker) in conspectum prodeunt. — Quae nonnulli (Mueller et alii) de nervorum aegrotationibus, exempli causa de nervorum splanchnicorum et renalium intumescentiae tradunt, praejudicatis opinionibus niti videntur.

Quodsi res repertas comparamus, duce Copland affirmare licet, nullam laesionem unquam esse constantem, ergo anatomiam pathologicam hoc in casu incerta tantum nobis suppeditare, quibus sententia confirmetur, diabeten pro morbo functionali, minime organico esse habendum.

AETIOLOGIA.

Morbo nostro pedetentim irrepenti et invalescenti variae causae disponentes subsunt, quarum principem scriptores in momentis climaticis merito collocant. Diabetes enim regionibus borealibus et temperatis prae ceteris familiaris est: frequentissime in Britannia, rarius in

Germania, crebrius in montanis Italiae superioris et Helvetiae partibus occurrit. Haud difficile est intellectu, fontem primarium diabetae et tuberculorum pulmonalium esse eundem, nempe frigus humidum et temperiei vicissitudinem repentinam. — Recentiores auctores in explananda aetiologia nimium ponderis nutrimentis adscripserunt. Sacchari formatio ex hac sola causa repetenda non videtur, nam si res ita se haberet, diabetes multo frequentius ruricolas egestate pressos adgrederetur. — Praeterea inter causas remotas incitamenta debilitantia et deprimentia cujusvis generis, sicut directi stimuli renum et genitalium, e. g. per onaniam, remediorum diureticorum abusum referuntur. Ceterum dispositio hereditaria saepe adest. — Homines inter vitae annum vicesimum quintum et quadragesimum degentes diabetae maxime obnoxii sunt. Quod ad sexum pertinet, auctore Berndt, virorum et mulierum hoc morbo aegrotantium ratio est 5 : 4. — Quum rebus nudis in natura positis explicari nequeat, quanam ratione diathesis paulatim ingravescens tandem in morbum apertum abeat, scriptores varias theorias plus minus artificiosas proposuerunt.

DE MORBI INDOLE.

Duae tantum sunt theoriae, nostro tempore de principatu certantes, quarum altera jam ante Rollo exstitit, ab hoc autem praecipue vindicata, et mere chemica a Bouchardat proposita, qua diabeten ventriculo soli assignandum; altera autem a Willis, Sydenham, Berndt, Jahn, aliis in lucem prolata est et pro morbo assimilationis universae habendum esse asseritur.

Rollo diabeten cerni dicit in ventriculi actione morbosa, cum succi gastrici vitiosa indole, qua fiat ut chylus imperfectus paretur, et vel hoc ipso loco saccharum in eo formetur, vel inter circuitum demum sanguinis exoriatur. Bouchardat saccharum primitus in ventriculo et intestino ex amylo nutrimentorum succo gastrico acido necnon enterica formari censet. Argumenta, quibus hanc theoriam suffulcit, breviter afferam (Schmidt's Jahrbuch d. ges. Med. XXIII, 318).

1. Omnes diabete laborantes magna cum cupiditate nutrimenta amylacea et saccharina appetunt.

2. Sacchari in urina obvii copia et sitis cum pane atque alimentis saccharinis et farinaceis ab aegro assumptis semper justam alunt rationem.
3. Ad curandum diabeten aegrotis cibi farinacei et saccharini subducantur necesse est, quo quidem facto omnia symptomata mox decrescunt.

Quod Rollo judicavit, id ad secundam theoriam proxime accedere et cum ea in unam plane coire esse videmus, nisi nimium dignitatis morbosae chyli praeparationi in primis viis tribueret. Bouchardat processum morbosum ventriculo et intestino limitari censet, eum chemica ratione interpretatus; argumenta vero hujus theoriae prorsus infringuntur, si a chemico eorum momento discedamus. Aegroti quidem solo victu carneo non facile utuntur, minime vero nutrimenta farinacea et saccharina tam cupidissime appetunt, id quod plura exempla testantur. (Berndt, klin. Mittheil. Greifswald 1834). Mutua deinde proportio inter amylum ciborum, copiam aquae assumptae et quantitatem sacchari in urina, quam Bouchardat defendit, neutiquam omnibus in casibus observatur. Experimenta recentiora nobis persuadent, urinam saccharinam eandem manere, si aeger aut solis carnibus vescatur, aut simul panis libram quotidie

sumat. Ceterum, si vera esset illa sententia, therapiae successus multo laetiores forent.

Altera theoria, quae diabeten morbosa totius assimilationis conditione et vitiosa sanguificatione effici perhibet, auctore Copland, (Encycl. Wörterb. II, 595.) cui nos etiam suffragamur, sola rationis principiis respondet, quippe quae non modo phaenomenorum morbosorum evolutio illustretur, sed etiam commercium perspicuum cum causis, exitu et rebus repertis exhibeatur. In morbo autem universo praecipue chemismum animalem a norma discrepantem videmus, ejusque criteria, si in conspectum prodeunt, maxime in sanguine et urina sese manifestant. Bouchardat fibrinam et albumen in sanguine quarta parte diminutum reperit. Omnes quidem consentiunt, sanguinem minus habere cruoris et minorem coagulabilitatem, unde elucet, partium animalium, azoticarum, plasticarum copiam esse comminutam. In urina praeter saccharum invenimus acidum lacticum, acidum hippuricum; materias vero azoticas pauciores ureamque nitrogenio opulentissimam et acidum uricum parciora deprehendimus.

Magno denique cum oblectamento alienationes organismi animalis variis gradibus mutari, aliasque ex aliis emergere videmus. Dummodo enim ingeniosam Vogtii

(Henle's und Pfeuffer's Zeitschrift I, p. 194.) sententiam obiter intueamur, facile chemismi animalis deviationes per varios gradus reperiamus; idem nempe chemismus animalis in morbo diabetico ad infimum gradum detruditur, perditis enim proprietatibus animalibus, sacchari formationem in ipso corpore molitur.

Primum deviationis gradum Vogt in statu venoso collocat, scilicet typho, erysipelate et rheumatismo, quo praecipitata albuminosa jam in urina inveniuntur, secundum in anaemia et chlorosi, tertium in morbo Brightii scrophulosi et tuberculosi, quartum in adipe, quem sanguis et urina contineant, quintum denique diabeten esse tradit exquisitum. Quodsi varios hosce gradus contemplamur, quorum unum ex altero natura evolvit, alterum in alterum traducit et reliquias priorum omnium in diabete manifestat, facile animalem chemismum magis magisque a productis animalibus ad vegetativa descendere ac postremo productum mere vegetabile, nimirum saccharum, exhibere intelligimus.

PROGNOSIS.

Nunquam faustam, ne ineunte quidem morbo, augurari licet prognosin. Caveat medicus, symptomatum remissione decipiatur, quippe quae salutis futurae spem vanam saepe suppeditet. Diabeten exquisitum posse sanari, plane diffitendum est. Pessimi ominis est, si uberrima urinae secretio et larga in ea sacchari copia locum habent, sitis vehementissima et fames voracissima, si generandi facultas prorsus deleta et macies corporis cutisque siccitas ad summum gradum evectae sunt. Urina albuminosa diabeten exquisitum concomitans signis funestis adnumeranda est; neque minus scriptores de aegroti salute desperandum esse censent, in saccharum urinae sub his conditionibus minuatur, vel omnino evanescat, quoniam hoc plerumque stadii colliquativi signum perhibent.

THERAPIA.

Disquisitiones pathologicae supra expositae facile nobis persuadent, diabetae exquisiti curationem parum salutis polliceri, itaque maximi esse momenti, ut primor-

diis ejus obsistamus. Prima medendi indicatio in eo est, ut sanguificationem ad majorem animalisationis gradum provehamus et universam assimilationem corrigamus. Cui scopo methodus roborans respondet, quasi totius curationis basin constituens, quamobrem remediis amaris, amaro-adstringentibus, praecipue china, denique ferri praeparatis uti debemus. — Rollo aegrotos in solo victu animali acquiescere jussit, hac autem methodo partim tanta tormenta aegrotis peperit, ut persaepe sequi nequeat, partim nihil profecit, quoniam diaeta tantum adminiculis gravioribus sanguinem corrigentibus adnumerari potest; nihilominus aegrotos victui animali, quatenus fieri potest, indulgere debere persuasum habeo. Non minus salutaris aëris quam purissimi inspiratio est, quam ob causam commoratio diabeticorum in nosocomiis tantundem detrimenti affert, quam phthisicis. — Altera indicatio id agit, ut in chemismum et haematopoësin directam vim exseramus, itaque mutationem materiarum vegetabilium in animales adjuvemus. Huc alterantia, quae vocantur, pertinent, inter quae praecipue jodum, ut complura experimenta docent, saluberrimos effectus praestitit. — Tertia indicatio ad symptomata molestiora accommodanda est, ad urinam profusam, ad sitim inexplebilem et famem.

Huc opium spectat, quod Rollo aliique medici Anglici primi commendarunt. Notatu dignum autem est, opii doses permagnas symptomatibus narcoseos carentibus a diabeticis assumi, haud etiam constipatio evenit, intra viginti quatuor horas ad grana 20—60 adauctae sunt. Quum praeterea cutis transpiratio omnino supprimi soleat, camphoram, balnea sulphurata, laconica, in usum vocare licet. — Quarta denique indicatio respici jubet ad concomitantes ventriculi, intestinorum et, quae creberrimae sunt, pulmonum affectiones.

VITA.

Natus sum Ernestus Carolus Marcus Noeller, fidei evangelicae addictus, Lausannae anno h. s. XXIV, patre Carolo, matre Ludovica e gente Boutan, quos morte matura mihi ereptos maxime lugeo semperque lugebo. Primis litterarum elementis imbutus in gymnasio et academia Lausannensi in disciplinas altiores incubui.

Tum Heidelbergam me contuli, ubi ab Ill. Wangerow, rectore magnifico, civium academicorum numero adscriptus hosce viros doctissimos per annum audivi disserentes:

Ill. Tiedemann et Cel. Nuhn de anatomia speciali; Ill. Henle de splanchnologia, physiologia et anatomia generali; Ill. Gmelin de chemia experimentali; Cel. Hoefle de botanice medica.

In cadaverum secandorum arte duces mihi fuerunt Ill. Tiedemann et Cel. Nuhn.

Hinc in almam universitatem Fridericam Guilelmam discessi, et Ill. Trendelenburg rectore magnifico nomen professus sum apud Ill. Hecker, ordinis medici t. t. decanum spectatissimum. Per triennium hasce frequentavi scholas:

Ill. Mueller de physiologia, anatomia comparata et pathologica, quo eodem duce exercitationibus anatomicis interfui; Ill. Mitscherlich de materia medica; Exp. Simon de pathologia generali; Ill. Schoenlein et Ill. Romberg de pathologia et therapia speciali; Ill. Juengken de chirurgia generali et speciali; Cel. Troschel de arte fasciarum applicandarum; Ill. Schmidt de arte obstetricia; Ill. Hecker de historia medicinae.

Exercitationes clinicas et policlinicas medicas Ill. Schoenlein, Ill. Romberg et Cel. Wolff; chirurgias et ophthalmiatricas Ill. Juengken et Beat. Dieffenbach; obstetricias Ill. Busch frequentavi.

Ceterum Ill. Schlemm ad operationes chirurgicas privatissime me instituit.

Quibus viris, optime de me meritis, quam possum maximas gratias ago semperquo habebo.

Tentamine jam medico et examine rigoroso coram Gratiosa Medicorum Facultate rite superatis, fore spero, ut, dissertatione cum thesibus palam defensa, summi in utraque medicina honores mihi deferantur.

THESES.

1. Diabetes et tuberculosis haud exiguum nexum causalem alunt.
2. In fracturis sanandis methodus Suetiniana reliquis est praeferenda.
3. In sananda gonorrhoea methodus abortiva resorpto veneno rejicienda est.
4. Tracheotomia in angina membranacea haud est adhibenda.